



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

4. Licet ambire Magistratum aut officium, sollicitando suffragia Collatorum promissis Symposiis, pecunijs, muneribus per se vel suos, & nihilominus consuetum juramentum cum restrictione mentali ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

Patres per mēdacia tales restrictiones intellexerint, utique talia erunt, alias hoc asserendo, mendacium commisissent: Et esse reverentia mendacia sentit *D. Thom.* 22. q. 111. ar. 1. in corp. ubi veritati inquit opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: consentit *S. August.* q. 68. in Leviticum, cum falsum, ait: à sciente dicitur, procul dubio mendacium est, si vè illo quisquam, si vè nemo ledatur: & lib. de mendacio cap. 3. ille mentitur ait: qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat.

9. Sed usum restrictionum mentalium etiam in juramētis adhiberi solitarum, acerrimè censuravit facultas Theologica & Juridica Lovaniensis: Cum enim sibi duæ quæstiones fuissent propositæ: quarum prima erat.

I. An liceat ambire magistratum aut officium, sollicitando suffragia Collatorum, promissis symposiis, pecuniis, muneribus, per se, vel suos; & nihilominus consue-

consuetum juramentū cum restrictio-
ne mentali facere, quod nihil dederit.

II. An liceat in hunc finem pecunias, mu-
nera &c. accipere, per se, vel suos, &
tamen jurare, se nihil accepisse.

AD utramque, sicut & supra allatas pro-
positiones, restrictionibus mentalibus
patrocinantes, ut sequitur, respondit.

10. Respondetur, non licere. Et quisquis eo-
rum aliquid, quæ in istis formulis tanguntur,
juxta quod planissime verba sonant, fecerit; &
tamen juraverit se non fecisse: est indubitati
perjurij reus. Non est ista in puteum Demo-
criti abstrusa veritas, ut nonnulli putant, sed
ita perspicue oculis humani generis exposita: ut
non minus dolendum sit, imperitorum animos
propriis cupiditatibus ita obscurari, ut eam,
jam olim inter ethnicos indubitatam, à periti-
oribus veluti dubiam discutiendam censeant;
quàm ipsos peritos cupiditatibus alienis usque
adeo lenocinari, ut rem lucidissimam tortuosis
ratiocinationibus quodammodo obruere, ac de